



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Status separationis sitne animæ naturalis, an violentus.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

saluandum quomodo expellant se mutuo habitus ad doctrinam nouam, quam eodem loci proponit *Arriaga*: nempe quod actus ille qui producitur à potentia in casu prædicto & omni simili, non producat habitum pro illo ipso instanti, sed pro alio sequenti, pro quo necessario conseruatur. Existimat enim actum qui libere producitur pro vnicò instanti, necessario conseruari in potentia pro aliquot aliis instantibus, & habitum non produci per ipsum in primo instanti, sed in sequentibus.

Contra quam doctrinam facit principaliter, quod gratis excogitata est absque alio fundamento, quam ut per eam soluat prædicta difficultas, quæ sine ea saluari potest.

Secundo, quod dicat actum producere habitum non pro primo instanti, sed pro secundo instanti, cum non sit potior ratio cur ipsum produceret pro secundo quam pro primo.

Tertio, quod actus libere productus à potentia conseruetur ab illa necessario, cum tamen non sit magis determinata ad conseruandum quam ad producendum; & cum inde sequeretur quod non posset actum oppositum producere pro quocumque instanti post productionem actus: quæ omnia paradoxa sunt, & gratis asserta contra Doctores communiter.



DISPUT. IX.

De Anima separata.

ANIMAM separari à corpore tam certum est, quam homines mori, & eam manere extra corpus tam certum est, quam eam esse immortalem. Quinque autem possumus considerare animæ status post separationem, antequam iterum viuenda sit corpori in resurrectione.

Primus est status quem habet ex natura sua physica, quamuis non esset ordinata ad penam aut gloriam.

Secundus est status gloriæ, quem habet in cælo.

Tertius est status pœnæ æternæ sensus & damni, quem habet in inferno.

Quartus est status pœnæ temporalis sensus & damni, quam habet in Purgatorio.

Quintus denique est status pœnæ damni, non sensus, quem habet, secundum communioem, licet forte minus veram sententiam, pueri non baptizati in Lymbo, vel in aliquo alio loco. Ex his statibus quatuor vltimum consideratio spectat ad Theologiam, quia Philosophia non attingit ad eorum cognitionem: sed solum ex reuelatione nobis constant: quamuis enim posset aliquis lumine naturali probabiliter colligere quod præmiarentur à Deo post hanc vitam, qui bene vixerunt, nec hic mercedem congruam adepti sunt, & similiter punirentur mali qui seculi præsentis vitauerunt pœnas, tamen quod vnius præmium, aut alterius pœna esset æterna, difficiliter poterit ratione naturali probari.

QVÆSTIO I.

Status separationis sitne naturalis an anima violentus.

Certum est separationem animæ esse tam ipsi, quam corpori naturalem, quatenus naturale opponitur supernaturali, sit enim ex actione causarum naturalium: est etiam quandoque naturalis, prout naturale opponitur libero, quando scilicet moritur quis ex febre orta ex causis naturalibus; & quandoque libera, ut quando quis ab agente libero interficitur.

Quæstio ergo est de naturali prout opponitur violento ac neutro, & meo iudicio maxima parte est de nomine, ortaque ex variis acceptionibus motus naturalis ac violenti, quibus vtuntur Authores. Pro vitanda autem æquiuocatione & resoluenda ipsa re independentem à quæstione de nomine:

Aduertendum est aliquid posse dici esse in statu violento ex eo, quod careat aliqua perfectione, quæ spectet ad substantiam ipsius, nec habeat aliquam aliam perfectionem substantiæ, idem incompatibilem cum illa, quantumuis haberet alias perfectiones accidentales meliores, quam haberet cum illa perfectione substantiæ; & in hoc sensu materia prima esset in statu violento quando haberet formam substantialem imperfectiorem, & caret perfectiori.

2. Alio modo potest dici esse in statu violento, quando caret aliqua perfectione accidentali tendente ad conseruationem ipsius, quoad esse physicum; & sic aqua dicitur esse in statu violento quando est sub calore.

Tertio, potest dici aliquid esse in statu violento, ex eo, quod careat aliqua perfectione, quam ipsummet naturum est, tanquam causa naturalis adæquata, in se producere, si priuatur illa, & tollatur impedimentum; & in hoc sensu graue dicitur esse in statu violento quamdiu est sursum, & leue quamdiu est deorsum, & in hoc eodem sensu etiam aqua calida potest dici esse in statu violento.

Quarto potest dici aliquid esse in statu violento, ex eo, quod sit in aliquo statu, in quo habet impedimentum acquirendi aliquas perfectiones accidentales, & naturales, quas posset connaturaliter pro alio statu habere, nec alias ipsis æquivalentes potest habere. Et in hoc sensu intellectus alligatus ad phantasmata pro aliquo statu, si pro alio statu non esset alligatus, posset dici esse in statu violento.

Aduertendum secundo, secundum *Scotum* intellectum etiam coniunctum corpori, quantum esset ex natura sua, posse intelligere res omnes independentem à phantasmatis non minus quam possit in statu separationis & ita intellexisse in statu naturæ institutæ ac integræ; illo scilicet, quem habuit Adamus, & haberent posterius eius, si non peccasset in Paradiso; quod autem in hoc statu non intelligat sic, vnam esse ex pœnis peccati originalis.

CONCLUSIO I.

3. Separatio est anime violenta, & non naturalis primo modo. Hæc patet, quia anima separata caret complemento substantiæ, ad quod essentialiter ordinatur, nempe corpore; nec vllam perfectionem habet ipsi æquivalentem impossibilem cum ipso: ergo est violentus ipsi ille status, non minus quam esset violentus status materiæ, quo esset sine vlla forma substantiæ.

Obijciens primo: de ratione violenti est, quod non sit à principio intrinseco; sed separatio sæpe provenit à principio intrinseco: ergo non est violenta.

Respondeo, distinguendo maiorem: quod non sit à principio intrinseco, hoc est, iuxta inclinationem principij intrinseci seu subiecti, cui dicitur esse violentum, concedo maiorem; hoc est, quod non concurrat illud principium effectiue siue proxime, siue remote ad illud, nego maiorem. Et similiter distinguo minorem: sæpe provenit à principio intrinseco, id est, sæpe fit iuxta inclinationem eius, nego minorem; provenit à principio intrinseco, id est, causatur effectiue, vel proxime, vel remote à principio intrinseco, transeat minor, & nego consequentiam. Quod autem possit motus violentus provenire efficienter à principio intrinseco effectiue, probatur: quia motus, quo mouet se homo sursum, dum saltat, est ipsi violentus, & tamen producitur effectiue ab illo.

Obijciens secundo: Anima ex natura sua est immortalis, & informat corpus amissibiliter: ergo ex natura sua status separationis est ipsi naturalis.

Respondeo, distinguendo consequens: est ipsi naturalis, prout naturale opponitur supernaturali, concedo: prout opponitur violento, nego. Itaque quemadmodum aqua, licet naturaliter possit esse calida, & tamen calefactio est ipsi violenta: ita anima potest esse naturaliter separata, quamuis separatio sit illi violenta.

CONCLUSIO II.

4. In nullo alio sensu separatio est violenta anima.

Probat, quia nullas perfectiones potest habere in corpore, aut producere in se, quas non potest producere in se, aut habere in statu separationis, aut alias perfectiones ipsi violentas.

Variis modis potest aliquid dici in statu violento.

Separatio est anime violenta in vno sensu.

In nullo alio sensu separatio est ipsi violenta.

nes illis æquivalentes; nec in illo statu caret aliqua perfectione tendente in conservationem ipsius, cum non dependeat vlla ratione ab vllis accidentibus quoad esse, est enim spiritualis & immortalis.

CONCLUSIO III.

Quo sensu anima potius deberet appetere separationem quam coniunctionem.
5. Si consideretur anima secundum statum quem habet de facto in corpore, seclusa consideratione peccatorum & bonorum operum, penaque ac gloria; potius deberet appetere separationem quam coniunctionem: secus est si consideraretur secundum statum quem haberet si non intervenisset peccatum originale.

Quo sensu non deberet.
Probatur prima pars, quia careret multis imperfectionibus, quas habet pro hoc statu, & acquireret multas perfectiones, quas pro hoc statu non posset habere, & quibus magis satiaretur quam per aliquid quod potest habere pro hoc statu: nam careret omnibus molestiis corporeis, & posset acquirere scientiam intuitivam magis perfectam de rebus, quam potest habere pro hoc statu ex suppositione peccati: ergo potius debet appetere illum statum, quam coniunctionis cum corpore secundum statum præsentem.

Probatur secunda pars, quia pro hoc statu posset habere easdem cognitiones, quas tum haberet, & præterea haberet complementum suum substantiale, ut patet.

Dices contra primam partem: quamvis haberet pro illo statu cognitiones perfectiores, tamen careret complemento substantiale; sed potius deberet appetere complementum substantiale, quam accidentale: ergo.

Respondeo, distinguendo minorem: complementum substantiale requisitum ad operationes perfectissimas, concedo: non requisitum, nego antecedens.

CONCLUSIO IV.

De facto separatio est simpliciter dicenda violenta anima.
6. De facto separatio est simpliciter dicenda violenta anima.

De facto separatio est dicenda violenta anima.
Hæc est communis, & patet, quia est contra inclinationem innatam ipsius, quandoquidem inclinemur naturaliter inclinatione innata, magis ad complementum substantiale quam ad accidentale: & licet non sequatur ex eo, quod aliquid habeat maiorem inclinationem ad unum quam ad aliud impossibile, quod sit in statu violento quando est sub illo ad quod minorem dicit inclinationem, ut patet ex eo quod materia prima non sit in statu violento, quando est sub forma imperfectiori, ad quam minus inclinatur; tamen ex eo, quod aliquid careat perfectione maiori diversis ordinis, quod est complementum substantiale & perfectio simpliciter ipsius, sequitur quod sit in statu violento, licet habeat aliquid aliud inferioris ordinis & spectans ad complementum accidentale, ac secundarium ipsius: sed anima separata habet carentiam corporis, quod est complementum substantiale eius: ergo licet habeat tum perfectionem maiorem accidentalem, hoc est, cognitiones intuitivas independentes à phantasmatibus, adhuc tamen erit simpliciter in statu violento.

7. Dices: si separatio est ipsi violenta: ergo unio & coniunctio esset ipsi naturalis, & consequenter resurrectio esset naturalis.

Respondeo, distinguendo consequens: pro ut naturale opponitur violento, concedo consequentiam; pro ut opponitur supernaturali, nego consequentiam. Et similiter distinguo secundum consequens.

Dices secundo, secundum Doctorem 4. dist. 53. q. 2. §. 3. Separatio non est simpliciter violenta anima: ergo conclusio falsa.

Respondeo Doctorem intelligendum de violento simpliciter in eo sensu, in quo tale dicitur, quod ita est contra inclinationem, ut non habeat secum annexam aliquam perfectionem, quæ esset iuxta inclinationem rei, quam alias non haberet. Non vero de violento simpliciter, quatenus tale dicitur quod est contra inclinationem principalem, licet ferat secum aliquid quod sit iuxta inclinationem minus principalem.

Dices tertio, Doctor eodem loco dicit animam non dicere inclinationem ad corpus: ergo separatio non est ipsi violenta simpliciter.

Respondeo eum loqui vel de inclinatione quæ posset

reduci ad actum secundum per causas naturales, vel de inclinatione, quæ excluderet omnem perfectionem, & satisfactionem vllius appetitus animæ. Vnde nego consequentiam.

QVÆSTIO II.

Quas perfectiones habet anima separata secundum se.

8. Non est dubium quin habeat intellectum & voluntatem, tum quia hæc identificantur ipsi in nostra sententia; tum quia quamvis non essent identificatæ sunt proprietates connaturales illius; tum quia habet species & cognitiones, ut constat ex historia Epulonius Lucæ 16. tum denique quia nihil impedit.

Difficultas ergo est de speciebus & habitibus, quos habuit in via, & de aliis cognitionibus ac speciebus perfectioribus, & de virtute discursiva, ac locomotiva, tam respectui sui, quam respectu aliorum.

CONCLUSIO I.

An retineat anima separata species quas habuit in via, est incertum, retinet tamen habitus voluntatis.

Probatur prima pars, quia quantum ad rationem attinet, illæ species videntur habere dependentiam ab obiecto phantasticè proposito; sed tale obiectum non potest poni in statu separationis: ergo frustra conservarentur illæ species. Maior patet ex dictis disputatione de intellectu.

9. Obijciunt: formæ absolutæ permanentes non destruuntur nisi per destructionem subiecti, aut per introductionem formæ contrariæ, aut per remotionem causæ conservatiæ: sed subiectum illarum specierum est anima, quæ separata manet; nec habent formam contrariam; nec remouetur ab illis causæ conservatiæ, quæcumque demum illa sit: ergo non destruuntur.

Respondeo, distinguendo maiorem pro tertia parte: per remotionem localem tantum, nego; per remotionem localem aut æquivalentem, talem scilicet, ut non concurrat amplius ad earum conservationem, concedo. Et similiter distinguo minorem, & nego consequentiam. Itaque quemadmodum secundum Theologos destruitur fides in patria, & habitus supernaturales animarum damnatarum, quia indecent talem statum, aut quia non debent esse actus illorum, ac propterea ipsam frustanea essent, ita in proposito dicendum.

10. Obijciunt: anima separata recordatur rerum, quas fecerunt in corpore: ergo habent species quas habuerunt in corpore.

Respondeo, negando consequentiam: quia possent recordari istarum rerum per species infusas ipsi à Deo.

Dices, non esse recurrendum ad Deum absque necessitate: sed hic non est necessitas.

Respondeo, negando minorem; nam non videtur quomodo possint ipsis deferuire ad hoc species viæ, essentialiter limitatæ ad obiecta phantasticè proposita.

Probatur secunda pars, quia habitus voluntatis possunt habere actus in anima separata, nec est vlla ratio, ob quam deperderentur.

CONCLUSIO II.

Anima separata habet species perfectiores & cognitiones, quam habuit in corpore, potestque discurre.

Hæc est communis, & patet, quia habet cognitiones rerum intuitivas independentes à phantasmatibus, quæ sunt sine dubio perfectiores cognitionibus dependentibus à phantasmatibus; tales autem cognitiones nullo modo posset habere in absentia obiectorum absque speciebus conformibus, quæ species sine dubio sunt perfectiores speciebus, quæ habet in statu coniunctionis. Quod autem possit discurre, patet; quia nihil impedit.

Et confirmatur, quia Angeli discurrent, ut suppono ex Theologia: ergo & anima separata, à paritate rationis.

CONCLV